



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

XX. S. Margaritæ V.M. Dupl.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](#)

cum Christo? Ad hoc ergo, & nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se, propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt; ergo ut se diligent, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus: Pauci se propere diligit, ut sit Deus omnia in omnibus. Te Deum &c.

## DOMINICA

Ante Festum

## S. MARIAE MAGDALENÆ

DEDICATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS

Dup. I. Class. cum oct. infra Civit. extra Civit. sine oct.

Dominica ante Festum S. Praxedis est Dedicatio Ecclesiae Collegiatæ Buxtorffensis.

Die XX. Julii.

## S. MARGARITÆ VIRG. MART.

Duplex Diaœces.

*Omnia de comm. Virginis prater sequentia.*Oratio. Indulgentiam nobis, ut  
in Brev.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

L 3

IN

## IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**M**argarita virgo, Antiochiæ in Pisidiâ nobilibus parentibus nata, nutricis operâ, cui eam, matre orbatam, pater educandam tradiderat, decimum quintum annum agens, Christianæ fidei præceptis est instituta, & baptizata. Quod ubi pater invitus cognovit, eam Olybrio Præfeto, qui Christi fideles persequebatur, & ex Asiâ tunc venerat Antiochiam, Christianæ fidei nomine defert. Is autem, simul ac eam vidit, incredibili virginis amore captus, se felicem fore duxit, si vel precibus vel minis posset eam, à Christianis sacris ad deorum cultum reductam, sibi matrimonio copulare.

*R<sub>2</sub>. Propter veritatem.*

*Lectio V.*

**S**ed cùm frustrà blanditiis virginem oppugnasset, ac se contemni ab eâ

ea cerneret, tamdiu virgis cædi jussit,  
donec corpore dilaniato, terram sub-  
jectam sanguis irrigaret. Quo cru-  
ciatu virgo nihil territa, liberâ voce  
Præfecto copiam fecit, omnia tor-  
menta, quæ diabolus suggereret, in  
se convertendi. Quamobrem illo  
vehementius irato, in equuleo suspen-  
sam, ac uncis ferreis laceratam, in  
carcerem detrusit: ubi post fugatum  
signo crucis diabolum, semel draco-  
nis, iterum Æthiopis exuviis horren-  
dum, cælesti viso recreata, totam  
noctem divinis intenta laudibus tra-  
duxit. R. Dilexisti justitiam.

*Lectio VI.*

**P**ostridiè Præfetus eam, in propo-  
sito constantem, flammis & a-  
quâ cruciat: nam primò faces arden-  
tes pectori & lateribus admovet: de-  
inde in vas aquæ, suffocandam, præ-  
cipitem agit. Quæ indè surgit inco-  
lumis, dum ingenti fragore terra quaf-

sata contremuit & vox sponsi, eam ad æternæ vitæ gaudia vocantis, à toto circumstante populo cælitùs audita est. Quo miraculo perculta Gentilium multa millia Christo crediderunt; cùmque Præfectus in eos exercitum immitteret, in Jesu Christi fidei professione, proprio sanguine baptizati, martyrii palmam acceperunt. Margarita autem extra urbem, abscisso capite, virginitatis gloriam honore martyrii cumulavit, decimo tertio Kalendas Augusti, anno trecentesimo. Rx. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

*Homil. in Evang. Simile est Regnum cœlorum thelauro, de comm. non Virg.*

Rx. *De communi Virg.*

*Die XXIII. Iuli.*

S. LIBORII EPISC. CONF. PATR.

Dup. 1. Class. cum oīt. in & extra Civit.

*Omnia de communi Confess. Pontif. præter propria.*

Ora-